

INDEX DISPUTATIONUM

Theologicarum

sub Praesidio Leonb. Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-
nae et personarum Trinitatis

3 De personarum in unadi-
vina essentia differentis
notis characteristicis ordine
et de generatione ac divi-
nitate filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti
ejusque aeterna processione
a Patre et filio, et de Sa-
cramentis tam veteribus quam
recentioribus etc.

5 De peccato originali per
difficiliam scripturam polysemam
opposita.

6 De blasphemia in Spiritum
sanctum sive peccatum ad
mortem

7 De unione hypostatica du-
arum naturarum in Christo

8 De communicatione et
naturarum et eorum
Idiomatum in Christo

9 De officio Christi sacerdo-
tali et statu humilitatis

10 De officio Christi re-
gio, et statu exalta-
tionis

11 De justificatione ho-
minis peccatoris coram
Deo

12 De efficacia ministerii
verbi et sacramentorum
Dei Ministeriorum Ecclē-
siae vocatione

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 11.

15 De Sacramento ingere-
re 13 a. c. 4.

16 De Baptismo, c. 4.

17 De Coena Domini. 10

18 De Penitentia et
Confessione 11. 12

19 De Traditionibus hu-
manis in Ecclesia
15. 16. 17. ar.

20 De rebus civilibus
et potestate Ecclesi-
astica. 16. 17.

21 De extremo pudore

22 De libero arbitrio

23 De causa peccati

24 De cultu sanctorum
25 Ex Jerem. Ecce agnus
illi Dei qui tollit peccata
mundi

26 De verbo Dei
scripto seu scriptura
in sacra.

DISPUTATIO XVII.

SUMMA AB-
COMINATIONIS
PONTIFICIAE IN
NEGOCIO EVCHA-
RISTICO.

Continens Controversias

- 1. DE TRANSSVESTANTIATIONE.
- 2. DE SACRIFICIO MISSATICO.
- 3. DE COMMUNIONE SUB VNA SPECIE.

Q V A M

Divina annuente aura:

SUB PRÆSIDIO


LEONHARTI HVTTERI,
SS. THEOLOGIAE
DOCTORIS

Respondendo tuebitur

M. GEORGIUS VVILHELMVS
HAMMERVS Hilperhulanus
Francus.

*Ad diem 2. Novembris, loco horisq;
consuetis.*

I E N Æ
TYPIS TOBIAE STEINMANNI.
ANNO MDLXCVI.



REVERENDO CLARISSIMO
& Doctissimo viro

DN. VITO VVOLFFRVM
Hilperhulano Sacrosanctæ Theologiæ Doctori,
Ecclesiæq; Zvickaviensis Superin-
tendenti dignissimo.

E T

Reverendissimi & Illustriss. Principis HENRICI IVLII
Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis &c.
Consiliarijs fidelissimis

V I R I S

Clarissimis, consilio, autoritate, rerumq; usu &
experientia prestantissimis

Dn. BALTHASARO MYHE
arcis Lohræ in comitatu Honsteinensi
præfecto vigilantissimo:

Dn. IOHANNI DOTENHAVSEN
eiusdem Comitatus QVÆSTORI
dignissimo,

Dominis & Mæcenatibus suis, omni obser-
vantia studio colendis

Hasce de Transsubstantiatione, de Missa,
deq; Communicatione sub una
specie, positiones

In debita observantia testimonium

Et grati animi symbolum

M. & S.

M. Georgius VVilhelmus Hammerus
Hilperhulanus Fr. Illust. P. P.
Saxonix alumnus.





Summa Abominationis Pontificiæ in
negocio Evcharistiæ.

T H E S I S I.



PANTA EST ABOMINATIONIS Pontificiæ in negocio Evcharistiæ fœditas, ut eam sordibus liberare qui tenet, Augiæ profectò stabulum repurgare velle, videri queat.

2. Nos missis hoc tempore levioribus erroribus, eos potissimum in disquisitionem vocabimus, in quibus sua causa receptum deligant Romanenses.

3. Tria sunt a. quasi castella, ex quibus doctrina cœlestis puritatem, in hoc religionis capite, impugnare & evertere satagunt: I. Transsubstantiationis sive *μεταστροφή* Commentum: II. Sacrificij Missatici Canon fictitius III. Sacrilega Evcharistiæ mutilatio, seu Communicatio sub una specie.

I. De Transsubstantiatione.

4. Transsubstantiationem Conciliabulum Tridentinum definivit, à sancta Catholica Ecclesia, convenienter, propriè & aptissimè (nimis profectò bardè & barbarè) appellatam esse, mirabilem illam & singularem Conversionem totius substantiæ panis in Corpus Christi, & totius substantiæ vini, in sanguinem ejus, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, factam per panis & vini consecrationem: ac anathemati subjacere eum, qui hoc negare ausus fuerit.

Sess. 13.
cap. 4. cane
2. d. 11.
Ostob. an.
1552.

5. Commentum hoc universa Scriptura sacra, totiq; veteri Ecclesia penitus est ignotum: nimirum post Caroli Magni demum aetatem, infelici partu à Synagoga Romana editum.

¶ Decessis



Decessit Carolus M. An. Christi 814. Indiēt. 7. d. 28. Ian.

l. 4. sent.
dist. 11.
lit A.

6. Petrus Lombardus, cuius aetate, de modo Conversionis Elementorum in S. Cæna, an formalis ille sit, an substantialis, an alterius alicujus generis, primum in Gallijs disputari ceptum fuit: varijs hac de quaestione enumeratis sententijs, suam subiunēturus *Ἰνείριον*, in hac verba prorumpit: De hac quaestione definire non sufficio.

Floruit hic circa annum Christi 1159. Indiēt. 7.

Scot. in 4.
sent. dist.
11. qu. 3.

7. Iohannes Scotus, Transsubstantiationem ad presentiam Corporis & Sanguinis Christi in S. Cæna demonstrandam, minimè requiri disertè fatetur.

Docuit hic circa annum Christi 1299. Indiēt. 12.

Concil.
Florent.
Sess. ult.
art. 4. ann.
Ch. 1438.
Indiēt. 1.

8. Quin imò in Concilio Florentino, cum consicienda essent litera Unionis inter Orientales & Occidentales Ecclesias, disertè & expressè, ipso etiam annuente Pontifice Romano, Eugenio 1111. exceptus fuit articulus ille, de transmutatione panis in Eucharistia: & ad Concordiam Ecclesie stabiliendam minùs iudicatus fuit necessarius.

9. Impudens ergo nimis Conciliabuli huius est mendacium, fingentis universalem Ecclesie omnium aetatum, gentium, atq; populorum quoad dogma de transsubstantiatione, consensum & approbationem.

1. Cor. 10,
16.

10. Repugnat a. huic commento, tum ipsa Sacramenti huius institutio, tum v. & imprimis interpretatio Apostolica, qua poculum benedictionis cui benedicimus, *κὼινὸν αἵματος Χριστοῦ*, & panem, quem frangimus, *κὼινὸν σώματος αὐτοῦ* esse, disertè testatur.

1. Cor. 11,
26, 27,
28.

11. Et de ipso usu S. Cænae differens Apostolus, non species aut accidentia panis & vini, sed panem & vinum nominat aliquoties.

12. Repugnat perpetuus Consensus Orthodoxæ Antiquitatis, qua Eucharistiam duabus rebus constare semper credit,

credidit, terrena una, pane & vino : Cælesti altera, Corpore & Sanguine Domini.

Irenæus l. 4. contra Valent. c. 34. l. 5. c. 4. D. August. lib. sentent. Prosperi, de Consecr. 2. Hesych. l. 20. in Levit. c. 8. &c.

13. Et quamvis nonnulli Patrum mutationis ac Conversionis Elementorum in Cæna meminerint : certum tamen est, eos de tali mutatione loqui, qua panis qui est à terra, vocationem Dei percipiens, non jam communis panis est : Sed Eucharistia, duabus rebus constans, visibili nimirum & invisibili, terrena & cælesti.

14. Testis est Theodoretus, qui etsi non tam ad naturam visibilem attendendum, quam μετὰ βολὴν transmutationem credendam esse affirmat : statim tamen qualem μετὰ βολὴν intelligat, ipsemet explicat, subiiciens : Christus visibilia symbola appellatione Corporis & Sanguinis honoravit, & τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῆ φύσεως προσείδεικώς.

Dial. qui
interibitur
ἀπερὶ τῆς

15. Et alibi : Mystica Symbola post sanctificationem, & τῆς οὐκείας ἐξίσταται φύσεως ; μένει γὰρ Ἰησοῦ τῆς προσέργασ ἑστίαις, καὶ τὸ χημάλει καὶ τὸ εἶδες.

Dial. 2 qui
dicitur
ἀπερὶ τῆς

16. Quod si verò accidit, ut fatiscente magis magisque doctrina cælestis puritate, recentiorum Patrum aliqui, nimis περὶ βολικῶς de transmutatione Elementorum locuti fuerint ; id quod factum fuisse, minimè imus inficias : nihil tamen hoc & Scriptura Sacra, & vetustioris Ecclesie veritati præjudicare vel potest, vel etiam debet.

17. Repugnat præterea figmento huic, sensuum nostrorum κριτήριον, quod, uti de objecto proprio testimonium perhibere potest certissimum ; ita, panem & vinum in ipso Eucharistia usu esse & manere, κριστα infallibili testatur.

18. Accedit insuper duplex absurditas & blasphemia, in quam hoc delirium incurrit : Prior philosophica, statuens Accidentia panis & vini, nulli subiecto inherere : Po-

sterior

sterior Theologica, asserens corpus & sanguinem Domini, tam diu sub his accidentibus manere, quamdiu ipsa accidentia apparent.

19. Viraq; sanè absurditas, pœna magis quam refutatione est digna: ac illa quidem ferularum vibicibus: hæc verò aternis infernalium flammis coërcenda.

20. Qua de causa, nos brutum Anathematis Tridentini fulmen ne tantillum quidem extimescentes, impium hoc Transsubstantiationis dogma pleno ore explodimus; explosum ad Orcum & Rhadamantum relegamus.

2. De Missa Pontificia.

Sess. 6. d.
17. Sept.
an. 1562.
cap. 2.
Can. 3.

21. De Missa, qua altera est regni Pontificij, in hoc Religionis Christianæ articulo, Columna, docet idem Concilium Tridentinum, eam esse sacrificium non tantum laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti: sed verè propitiatorium, in quo Christi corpus & sanguis per Sacerdotem, offeratur indies in cruento modo pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, alijsq; necessitatibus.

22. Emergit hinc verus inter nos & Pontificios controversia status; qui est: utrum Missa sit sacrificium verè propitiatorium.

23. Affirmativam defendunt Pontificij: Nos v. sacrarum literarum edocti testimonijs, & firmissimis motivationibus, in negantem, pedibus quod ajunt, concedimus.

24. Initiò n. in locis illis universis, qua ex professo de Sacramento Eucharistia verba faciunt, altissimum de Missa Pontificia est silentium: ita ut vel inde haud indubia fieri possit collectio, eam neq; à Christo, neq; ab Apostolis institutam & celebratam esse.

25. Ipsa sanè Institutionis verba, usum Cœna Domini commonstrant duplicem: Vnum externum, qui consistit in edendo & bibendo: Internum alterum, qui in meritis Christi commemoratione unicè occupatur.

26. Ecquid verò in utroq; hoc usus sese offerre, quod vel in speciem saltem, de instituto Sacrificio Missatico fidem nobis facere queat?

27. Posterior profectò ille usus fictitio huic Sacrificio dis Ἀγῶ πατῶν repugnat: Si enim Sacrificij Christi memoria hic peragitur; qua quaso fronte Cæna ipsa Sacrificijum illud esse, affirmari poterit?

28. Testatur præterea Scriptura, & unanimis Orthodoxæ Antiquitatis consensus, Cænam Domini esse Sacramentum & Testamentum propriè ac verè sic dictum: Nunquam ergò Sacrificij definitio ipsi conveniet, nisi Sacramenti & Sacrificij rationes formales inter se disparatissimas tollere & confundere: hoc est, cælum terra miscere voluerimus.

29. Creditum hætenus fuit, & rectissimè creditum, hoc perpetui discriminis utriq; intercedere, ut in Sacrificio detur Deo; In Sacramento v. & Testamento detur hominib: Sacrificium ad Deum ascendat: Sacramentum v. et Testamentum à Deo ad nos mortales descendat in terram.

30. Iam v. ex Pontificiorum hypothesei statuendum erit, Christum Servatorem, qui in Cæna ac Testamento suo nobis à Deo verè datur atq; offertur, eundem vicissim simul etiam à nobis Deo dari atq; offerri: hoc est, unum idemq;, uno eodemq; actu constituere definitionem & Sacramenti & Sacrificij: seu, quod eodem recidit, ubi hominibus partes accipiendi sunt concessæ, ibi eosdem dandi partes sustinere & exequi.

31. Quod quanta cum ἀπώστια τῆς διαβολῆς sit coniunctum, credibile vix est, quin ipsimet jampridem viderint Pontificij.

32. Huc accedit, quòd cum ipso Sacrificio Christi in ara crucis peracto, commentitium hoc Missæ Sacrificium stare nulla ratione potest.

Hebr. 7,

27. 9, 12

& 28.

30, 12, &

34.

33. Quod si n. Scriptura teste Christus semel duntaxat oblatus est in cruce: Si semel ingressus est Sacrarium, aeternam redemptionem nactus: Si semel est oblatus, ut tolleretur multorum peccata: Si unam pro peccatis obtulit hostiam: si deniq; unica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur: Quid quaso opus est iteratis vicibus idem ut offeratur sapius?

34. Nervus collectionis in eo consistit: Christus ideo in cruce moriens oblatus est, ut expiaret peccata totius mundi: Aut ergo finem istum assecutus est Christus, ac proinde perfectum, adeoq; suis numeris omnibus absolutissimum obtulit sacrificium, ut eidem plane nihil in hoc genere possit accedere: aut non est assecutus, & sic imperfectum patri exolvit sacrificium: Posterius hoc, quippe manifestam litem intendens omnibus ijs, quae iam citavimus, Scripturae testimonijs, vel cogitare nefas est. Stabit ergo ratum ac firmum illud prius: Quo stante infumos ac nihilum abis, quicquid magno hiatu, majore blasphemia de usu ac sine Sacrificij Missatici blaterant Pontificij.

Hebr. 9,

22.

35. Constat praeterea Oblationem Sacrificij, & mortem sive sanguinis effusionem ita esse συνέχοντα, ut unoposito, ponatur & alterum: & vice versa: Siquidem teste Epistola ad Hebraeos, absq; sanguinis effusione non fit remissio.

36. Quae nota cum destituatur fictitium Sacrificium Missaticum, certe sacrificium verum ac propitiatorium non esse, erit consequens: aut si verum est sacrificium, Christum hodieq; ibi pati, mori, ac sanguinem effundere, statuendum fuerit: id quod est absurdum: Neq; enim Christo mors amplius dominatur. Rom. 6, 9.

37. Convellitur eadem ratio & in nihilum redigitur putidum illud rancidumq; cavillum, quod de incruento Sacrificio, saltem ut secum faciant, excogitarunt Pontificij.

38. Quod si n. Scriptura de ullo propitiatorio Sacrificio

ficio, incruentum quod sit, ne minimum quidem novit: Si eadem, cruentum illud Sacrificium propitiatorium Corporis Christi, ad expianda peccata totius mundi, longè perfectissimum & sufficientissimum esse comprobat; ecquæ obsecro incruenti Sacrificij Missatici erit necessitas & utilitas?

39. Porro id quoq; damni ac incommodi in se Missa Pontificia continet, ut rationem mediorum, ac verum applicandi beneficia Christi modum, qui in sola fide consistit, obscuret, imò penitus evertit.

40. Missam n. stabilire, eiq; eam ascribere vim atq; efficaciam, ut per eius Sacrificium gratia Dei potiamur, idq; præcipuè ex opere operato, ut loquuntur Romanenses: nihil profectò est aliud, quàm fidem, per quam beneficiorum omnium à Christo nobis partorum, ipsiusq; ad eò justificationis fit applicatio, à passione & morte Christi, ad humana Sacrificia abducere, & organa salutis ac gratia divina turpiter pervertere.

41. Et quid multis opus est, cum pio cuivis, intuenti saltem & consideranti stoliditatem theatrale prorsus ac histrionice actionis Missaticæ, non possit non fictitium ac deæquâ in hoc Sacrificium abominationi esse vel maxime detestanda.

42. De Canone Missatico, quem multis ante seculis ab Ecclesia institutum esse, falsò asserunt patres Tridentini, hoc indubitata Scriptorum produunt testimonia, ipsum à Romanis Pontificibus frustulatum seu per partes compositum, & intra sexcentos à Christo nato annos vix absolutum esse: ita ut Centonis instar à quàm plurimis consartus & consutus sit: & vel inde de ejus futilitate atq; imperfectione firmum possit peti iudicium.

43. Quibus ita constitutis, tam certum esse asserimus, Missam esse commentum humanum, imò Diabolicum,

¶ 5 ¶ quàm

Cap. 4.
Sess. 6.
Platina in
vita Sixti V.
Nauclerus.

quàm certum est, cœlum & terram à Deo esse condita: ac
proinde p̄is omnibus Baaliticam istam Romanensium Mis-
sam, missam faciendam, ac sub æterna salutis dispendio fu-
giendam esse judicamus.

44. Quemadmodum v. Missaticas istas Pontificiorum
nianas toto pectore detestamur: ita veram sive Christia-
nam Missam, quæ secundum institutionem Christi, retentis
ceremonijs utilibus ac decentibus, servatis partibus & ri-
tibus Essentialibus, retento deniq; vero usu hujus Sacra-
menti, peragitur, in Ecclesiis Evangelicis sartam tectam
hodieq; conservari, cum Augustana Confessione verè af-
firmamus.

Art. 3.
abus. mut.

3. De Communionem sub una specie.

45. Sacrilegium mutilanda Cœna Dominica, etsi Ma-
nichæis & Severianis, tanquam primis autoribus rectè
asscribimus: neminem tamen totis mille annis post Chri-
stum natum, his solis exceptis, fuisse affirmamus, qui faci-
nus istud in animum induxerit.

46. Quin imò, invalescente circa A. C. 1200. Commu-
nicandi sub una specie consuetudine; semper ex ipsis Do-
ctoribus Pontificijs fuerunt haud pauci, qui innovationi
huic acriter contradixerunt: donec tandem Anno Chr.
1414. ab Antichristo, filio illo perditionis, præter alias im-
pietates, hic quoq; unius speciei usus, sub anathematis ful-
mine mandatus ac confirmatus fuit.

Sess. 13.

47. Sic n. tum definiuit Concilium Constantiense, seu po-
tius Obstantiense: licet Christus venerabile Sacramen-
tum sub utraq; specie instituerit, & Ecclesia ita longo
tempore observaverit: tamen hoc non obstante, pla-
cere alterius tantummodò speciei usum pro Laicis.

Sess. 5. d.

16.
Iul. an.
1562.

48. Suffragatur huic decreto, Concilium etiam Tri-
dentinum, nullo inquam divino præcepto Laicos, & Cle-
ricos non conficientes obligari ad Eucharistia Sacramen-

um sub utraq; specie sumendum: Et si quis dixerit, ex Dei Cap. 1. &
Can. 1.
præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christo
fideles utramq; speciem sumere debere, anathema sit.

49. Notandum v. Laicorum nomine venire Pontis-
ficis omnes, cuiuscunq; sint dignitatis, sexus, aut ordinis,
qui characterem bestia Babylonice non acceperunt: hoc
est, qui uncti & rasi non sunt, neq; potestatem à pseudoepis-
copis habent sacrificandi pro vivis & mortuis: quod qui-
dem alterum hominum genus depravata appellatione Sa-
cerdotes nominare consueverunt, contra expressam D. Pe- 1. Pet. 2,
5 & 9.
tri definitionem, qui omnes ad quos scribit fideles, Sacer-
dotium sanctum, Sacerdotium regale, gentem sanctam ap-
pellare non dubitat.

50. Causas v. propter quas innovatio isthac ab Anti-
christo suscepta, quasq; iustas Tridentinum Concilium de- Cone.
Trid. Can.
2.
finivit, recenset Gerson, hom. 1. alphab. 17. tractat. contra
hæresin de Commun. sub utraq; specie: Et Gabr. Biel. Lect.
52. & 84. in Can.

51. Verùm rationes illa partim futilitate sua corru-
unt, partim tanti non sunt momenti, ut Testamentum Do-
mini immutare queant.

56. Nam quoad pericula, non desunt rationes alia,
quibus illis facillimè possit iri obviam.

57. Deinde, quoad posteriores rationes, de conditione
aliter sentientium, deq; autoritate Ecclesia Romana, &
Concilij Coustantiensis, respondemus, non detrahendum
esse quicquam divine autoritati, ut humana consulatur.

58. Tandem quo ad distinctionem inter Laicos & Moral.
homil. 18.
in 2. Cor.
8.
Sacerdotes, respondemus cum Chrylostomo: Et, ubi nihil
differt Sacerdos à subdito, ut quando fruendum est hor-
rendis mysterijs. Similiter n. omnes, ut illa percipiamus di-
gni habemur, non sicut in veteri lege, partem quidem Sa-
cerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat
populo

populo participem esse eorum, quorum particeps erat Sacerdos. Sed nunc non sic, verum omnibus unum corpus proponitur, et unum poculum.

59. Accedunt præterea & alie rationes longè gratissimæ, quibus moti fædum hoc Romanensium Sacrilegium detestamur: quarum prima & princeps est: quòd Christus Sacramentum hoc suum, non sub una, sed sub duabus speciebus instituit, institutumq; administravit: neq; postea ullibi hanc institutionem mutasse; quin potius eam morte sua stabilivisse legitur.

60. Adversantur præterea huic mutilationi, Græci Theologi, quotquot à temporibus Christi in Ecclesia Orientali vixerunt universi: quin imò in Occidentali etiam Ecclesia non constat ullo cuiusquam Orthodoxi patris testimonio annis post Christum natum 1200. Sacramentum Eucharistia solemniter & publicè uspiam locorum sub una specie administratum esse.

Decr. de
Consecr.
dist. 2. c.
12. Com-
perimus.

61. Quare non obstante Pontificis Romani auctoritate: Concilijq; Constantiensis & Tridentini anathemate, pleno ore, suffragante etiam Papa Gelasio concludimus, divisionem unius ejusdemq; mysterij, sine grandi sacrilegio non posse provenire: & cum eodem decernimus, aut sacramenta esse percipienda integra, aut ab integris abstinendum.

62. Pullulant præterea ex his de quibus jam diximus erroribus, & alij, ut Circumgestatio Sacramenti hujus Scenica sive Theatrica: ejusdem religiosa adoratio: Processio uti vocant cum eodem in Festo Corporis Christi, & qui sunt hujus generis plures: quos omnes, utpote auctoritate, præcepto, promissione S. literarum destitutos rejicimus, detestamur, abominamur.

loh. 17. 17

63. Christus Ihesus sanctificet & conservet nos in veritate: Sermo ipsius est veritas.

A M E N.

Hæc ad 17. m. 7. Quidam: Epe... in fm lyata v...
 Hæc præterea trochæum trochæum ita lignum 7. Cere...
 mg, portu... 21 mg se Melit... v... emi xi...
 Salutes ferreæ o... f... Log... n. Propriet...
 de... coram... 20... f... f... v... eff...
 mg, 7. 7. Eucta... ad... f... coangu...
 4 2 5, ut... his... apparat... m... 2, in portu... m...
 mos dolores... f... h... m... Euctal... f... h...
 h... m... m... angat... f... er... 1, 2 de app... h...
 p... f... f... m... cogit... f... f... t... laborat...
 m... v... t... m... portu... Euctal... Paul... port...
 p. 394.

94 A 7389

50

ULB Halle 3
 002 716 291




LL 02





B.I.G.

Farbkarte #13



70

DISPUTATIO XVII.
SUMMA AB-
MINATIONIS
PONTIFICIAE IN
NEGOCIO EUCHA-
RISTICO.

Continens Controversias
DE TRANSSVESTANTIATIONE.
DE SACRIFICIO MISSATICO.
DE COMMUNIONE SUB VNA SPECIE.

Q V A M
Divina annuente aura:
SUB PRÆSIDIO

ONHARTI HVTTERI,
SS. THEOLOGIAE
DOCTORIS

Respondendo tuebatur
GEORGIUS VVILHELMVS
HAMMERVS Hilperhulanus
Francus.

*Ad diem 2. Novembris, loco horisq̄
consuetis.*

I E N Æ
TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.
ANNO MDCCCXCVI.

